

1.3.18

*Idem AA. Monaxio pp.*

Parabalanin, qui ad curanda debilium aegra corpora deputantur sescentos sescentos constitui praecipimus, ita ut pro arbitrio viri reverentissimi antistitis Alexandrinae urbis de his, qui ante fuerant et qui pro consuetudine curandi gerunt experientiam, sescenti parabalanin ad huiusmodi sollicitudinem eligantur, exceptis videlicet honoratis et curialibus.

1 ¶ Si quis autem ex his naturali sorte fuerit absumptus, alter in eius locum pro voluntate eiusdem sacerdotis exceptis honoratis et curialibus subrogetur, ita ut hi sescenti viri reverentissimi sacerdotis praeceptis ac dispositionibus obsecudent et sub eius cura consistant: reliquis, quae dudum. latae legis forma complectitur, super his parabalanin vel de spectaculis vel de iudiciis ceterisque sicut iam statutum est custodiendis.

*D. III non. Febr. Constantinopoli Honorio XII et Theodosio VIII AA. conss. [a. 418]*

1.3.19

*Idem AA. Palladio pp.*

Eum, qui probabilem saeculo disciplinam agit, decolorari consortio sororiae appellationis non decet. quicumque igitur cuiuscumque gradus sacerdotio fulciuntur vel clericatus honore censentur, extraneorum sibi mulierum interdicta consortia cognoscant: hac eis tantum facultate concessa, ut matres filias atque germanas intra domorum suarum saepta contineant: in his enim nihil scaevi criminis aestimari foedus naturale permittit.

1 ¶ Illas etiam non relinqui castitatis hortatur adfectio, quae ante sacerdotium maritorum legitimum meruere coniugium: neque enim clericis incompetentem adiunctae sunt, quae dignos sacerdotio viros sui conversatione fecerunt.

*D. VIII id. Mai. Ravenna Theodosio A. VIII et Constantio III conss. [a. 420]*